

HORACE

ART POETIQUE (476 vers)

v.1 Humano capiti cervicem pictor equinam
 2 jungere si velit et varias inducere plumas
 3 undique collatis membris, ut turpiter atrum
 4 desinat in pisces mulier formosa superne,
 5 spectatum admissi risum teneatis, amici ?
 6 Credite, Pisones, isti tabulae fore librum
 7 persimilem cujus, velut aegri somnia, vanae
 8 fingentur species, ut nec pes nec caput uni
 9 reddatur formae. "Pictoribus atque poetis
 10 quidlibet audendi semper fuit aequa potestas."
 11 Scimus, et hanc veniam petimusque damusque vicissim ;
 12 sed non ut placidis coeant immitia, non ut
 13 serpentes avibus geminentur, tigribus agni.
 14 Inceptis gravibus plerumque et magna professis
 15 purpureus, late qui splendeat, unus et alter
 16 assuitur pannus, cum lucus et ara Dianae
 17 et properantis aquae per amoenos ambitus agros,
 18 aut flumen Rhenum aut pluvis describitur arcus.
 19 Sed nunc non erat his locus. Et fortasse cupressum
 20 scis simulare : quid hoc, si fractis enatat exspes
 21 navibus aere dato qui pingitur ? Amphora coepit
 22 institui : currente rota cur urceus exit ?
 23 Denique sit quidvis, simplex dumtaxat et unum.
 24 Maxima pars vatum, pater et juvenes patre digni,
 25 decipimur specie recti. Brevis esse laboro,
 26 obscurus fio ; sectantem levia nervi
 27 deficiunt animique ; professus grandia turget ;
 28 serpit humi tutus nimium timidusque procellae.
 29 Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
 30 delphinum silvis appingit, fluctibus aprum :
 31 in vitium ducit culpae fuga, si caret arte.
 32 Aemilium circa ludum faber unus et unguis
 33 exprimet et mollis imitabitur aere capillos,
 34 infelix operis summa, quia ponere totum
 35 nesciet. Hunc ego me, si quid componere curem,
 36 non magis esse velim quam naso vivere pravo,
 37 spectandum nigris oculis nigroque capillo.
 38 Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
 39 viribus et versate diu quid ferre recusent,
 40 quid valeant umeri. Cui lecta pudenter erit res,
 41 nec facundia deseret hunc nec lucidus ordo.
 42 Ordinis haec virtus erit et Venus, aut ego fallor,
 43 ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici,
 44 pleraque differat et praesens in tempus omittat,
 45 hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.
 46 In verbis etiam tenuis cautusque serendis

47 dixeris egregie, notum si callida verbum
 48 reddiderit junctura novum. Si forte necesse est
 49 indiciis monstrare recentibus abdita rerum,
 50 fingere cinctutis non exaudita Cethegis
 51 continget dabiturque licentia sumpta pudenter,
 52 et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
 53 Graeco fonte cadent, parce detorta. Quid autem
 54 Caecilio Plautoque dabit Romanus ademptum
 55 Vergilio Varioque ? Ego cur, acquirere pauca
 56 si possum, invideor, cum lingua Catonis et Enni
 57 sermonem patrium ditaverit et nova rerum
 58 nomina protulerit ? Licuit semperque licebit
 59 signatum praesente nota producere nomen.
 60 Ut silvae foliis privos mutantur in annos,
 61 prima cadunt, ita verborum vetus interit aetas,
 62 et juvenum ritu florent modo nata vigentque.
 63 Debemur morti nos nostraque. Sive receptus
 64 terra Neptunus classes Aquilonibus arcet,
 65 regis opus, sterilisve palus olim aptaque remis
 66 vicinas urbes alit et grave sentit aratrum,
 67 seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis
 68 doctus iter melius, mortalia facta peribunt,
 69 nedum sermonum stet honos et gratia vivax.
 70 Multa renascentur quae jam cecidere, cadentque
 71 quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
 72 quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi.
 73 Res gestae regumque ducumque et tristia bella
 74 quo scribi possent numero, monstravit Homerus.
 75 Versibus impariter junctis querimonia primum,
 76 post etiam inclusa est voti sententia compos ;
 77 quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
 78 grammatici certant et adhuc sub iudice lis est.
 79 Archilochum proprio rabies armavit iambo ;
 80 hunc socci cepere pedem grandesque coturni,
 81 alternis aptum sermonibus et popularis
 82 vincentem strepitus et natum rebus agendis.
 83 Musa dedit fidibus divos puerosque deorum
 84 et pugilem victorem et equum certamine primum
 85 et juvenum curas et libera vina referre.
 86 Descriptas servare vices operumque colores
 87 cur ego, si nequeo ignoroque, poeta salutor ?
 88 cur nescire pudens prave quam discere malo ?
 89 Versibus exponi tragicis res comica non vult ;
 90 indignatur item privatis ac prope socco
 91 dignis carminibus narrari cena Thyestae.
 92 Singula quaeque locum teneant sortita decentem.
 93 Interdum tamen et vocem comoedia tollit,
 94 iratusque Chremes tumido delitigat ore ;
 95 et tragicus plerumque dolet sermone pedestri
 96 Telephus et Peleus, cum pauper et exsul uterque
 97 proicit ampullas et sesquipedalia verba,
 98 si curat cor spectantis tetigisse querela.
 99 Non satis est pulchra esse poemata ; dulcia sunto,
 100 et, quocumque volent, animum auditoris agunto.
 101 Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
 102 humani vultus ; si vis me flere, dolendum est
 103 primum ipsi tibi ; tum tua me infortunia laedent,

104 Telephe vel Peleu ; male si mandata loqueris,
 105 aut dormitabo aut ridebo. Tristia maestum
 106 vultum verba decent, iratum plena minarum,
 107 ludentem lasciva, severum seria dictu.
 108 Format enim Natura prius non intus ad omnem
 109 fortunarum habitum ; juvat aut impellit ad iram
 110 aut ad humum maerore gravi deducit et angit ;
 111 post effert animi motus interprete lingua.
 112 Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
 113 Romani tollent equites peditesque cachinnum.
 114 Intererit multum divusne loquatur an heros,
 115 matusne senex an adhuc florente juvena
 116 fervidus, et matrona potens an sedula nutrix,
 117 mercatorne vagus cultorne virentis agelli,
 118 Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis.
 119 Aut famam sequere aut sibi convenientia finge
 120 scriptor. Honoratum si forte reponis Achillem,
 121 impiger, iracundus, inexorabilis, acer
 122 jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.
 123 Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino,
 124 perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.
 125 Si quid inexpertum scaenae committis et audes
 126 personam formare novam, servetur ad imum
 127 qualis ab incepto processerit et sibi constet.
 128 Difficile est proprie communia dicere, tuque
 129 rectius Iliacum carmen diducis in actus
 130 quam si proferres ignota indictaque primus.
 131 Publica materies privati juris erit, si
 132 non circa vilem patulumque moraberis orbem,
 133 nec verbo verbum curabis reddere fidus
 134 interpres nec desilies imitator in artum,
 135 unde pedem proferre pudor vetet aut operis lex.
 136 Nec sic incipies ut scriptor cyclicus olim :
 137 "Fortunam Priami cantabo et nobile bellum."
 138 Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu ?
 139 Parturient montes, nascetur ridiculus mus.
 140 Quanto rectius hic qui nil molitur inepte :
 141 "Dic mihi, Musa, virum, captae post tempora Trojae
 142 qui mores hominum multorum vidit et urbes."
 143 Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
 144 cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
 145 Antiphaten Scyllamque et cum Cyclope Charybdin.
 146 Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri
 147 nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo ;
 148 semper ad eventum festinat et in medias res
 149 non secus ac notas auditorem rapit, et quae
 150 desperat tractata nitescere posse relinquit,
 151 atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
 152 primo ne medium, medio ne discrepet imum.
 153 Tu quid ego et populus mecum desideret audi,
 154 si plausoris eges aulaeae manentis et usque
 155 sessuri donec cantor : "Vos plaudite" dicat.
 156 Aetatis cujusque notandi sunt tibi mores
 157 mobilibusque decor naturis dandus et annis.
 158 Reddere qui voces jam scit puer et pede certo
 159 signat humum, gestit paribus colludere et iram
 160 colligit ac ponit temere et mutatur in horas.

161 Imberbis juvenis, tandem custode remoto,
 162 gaudet equis canibusque et aprici gramine Campi,
 163 cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
 164 utilium tardus provisor, prodigus aeris,
 165 sublimis cupidusque et amata relinquere pernix.
 166 Conversis studiis aetas animusque virilis
 167 quaerit opes et amicitias, inservit honori,
 168 commisisse cavet quod mox mutare laboret.
 169 Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
 170 quaerit et inventis miser abstinet ac timet uti
 171 vel quod res omnis timide gelideque ministrat,
 172 dilator, spe longus, iners pavidusque futuri,
 173 difficilis, querulus, laudator temporis acti
 174 se puero, castigato censorque minorum.
 175 Multa ferunt anni venientes commoda secum,
 176 multa recedentes adimunt. Ne forte seniles
 177 mandentur juveni partes pueroque viriles ;
 178 semper in adjunctis aevoque morabitur aptis.
 179 Aut igitur res in scaenis aut acta refertur.
 180 Segnius irritant animos demissa per aurem
 181 quam quae sunt oculis subjecta fidelibus et quae
 182 ipse sibi tradit spectator; non tamen intus
 183 digna geri promes in scaenam, multaue tolles
 184 ex oculis quae mox narret facundia praesens.
 185 Ne pueros coram populo Medea trucidet,
 186 aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
 187 aut in avem Procne vertatur, Cadmus in anguem.
 188 Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.
 189 Neve minor neu sit quinto productior actu
 190 fabula, quae posci vult et spectanda reponi ;
 191 nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus
 192 incidere ; nec quarta loqui persona laboret.
 193 Actoris partis chorus officiumque virile
 194 defendat, neu quid medios intercinat actus,
 195 quod non proposito conducat et haereat apte.
 196 Ille bonis faveatque et consilietur amice
 197 et regat iratos et amet peccare timentis ;
 198 ille dapes laudet mensae brevis, ille salubrem
 199 justitiam legesque et apertis otia portis ;
 200 ille tegat commissa deosque precetur et oret
 201 ut redeat miseris, abeat Fortuna superbis.
 202 Tibia non, ut nunc, orichalco vincta tubaeque
 203 aemula, sed tenuis simplexque foramine pauco
 204 adspirare et adesse choris erat utilis atque
 205 nondum spissa nimis complere sedilia flatu,
 206 quo sane populus numerabilis, utpote parvus,
 207 et frugi castusque verecundusque coibat.
 208 Postquam coepit agros extendere victor et urbis
 209 latior amplecti murus vinoque diurno
 210 placari Genius festis impune diebus,
 211 accessit numerisque modisque licentia major.
 212 Indoctus quid enim saperet liberque laborum
 213 rusticus urbano confusus, turpis honesto ?
 214 Sic priscae motumque et luxuriam addidit arti
 215 tibicen traxitque vagus per pulpita vestem ;
 216 sic etiam fidibus voces crevere severis
 217 et tulit eloquium insolitum facundia praeceps,

218 utiliumque sagax rerum et divina futuri
 219 sortilegis non discrepuit sententia Delphis.
 220 Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
 221 mox etiam agrestis Satyros nudavit et asper
 222 incolumi gravitate jocum temptavit, eo quod
 223 illecebris erat et grata novitate morandus
 224 spectator functusque sacris et potus et exlex.
 225 Verum ita risores, ita commendare dicaces
 226 conveniet Satyros, ita vertere seria ludo,
 227 ne quicumque deus, quicumque adhibebitur heros,
 228 regali conspectus in auro nuper et ostro,
 229 migret in obscuras humili sermone tabernas,
 230 aut, dum vitat humum, nubes et inania captet.
 231 Effutire levis indigna tragoedia versus,
 232 ut festis matrona moveri jussa diebus,
 233 intererit Satyris paulum pudibunda protervis.
 234 Non ego inornata et dominantia nomina solum
 235 verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo,
 236 nec sic enitar tragico differre colori
 237 ut nihil intersit Davusne loquatur et audax
 238 Pythias emuncto lucrata Simone talentum,
 239 an custos famulusque dei Silenus alumni.
 240 Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis
 241 speret idem, sudet multum frustra que laboret
 242 ausus idem ; tantum series juncturaque pollet,
 243 tantum de medio sumptis accedit honoris.
 244 Silvis deducti caveant, me iudice, Fauni
 245 ne, velut innati triviis ac paene forenses,
 246 aut nimium teneris juvenentur versibus umquam
 247 aut immunda crepent ignominiosa que dicta ;
 248 offenduntur enim quibus est equus et pater et res,
 249 nec, si quid fricti ciceris probat et nucis emptor,
 250 aequis accipiunt animis donantque corona.
 251 Syllaba longa brevi subjecta vocatur iambus,
 252 pes citus ; unde etiam trimetris accrescere jussum
 253 nomen iambeis, cum senos redderet ictus
 254 primus ad extremum similis sibi ; non ita pridem
 255 tardior ut paulo graviorque veniret ad auris,
 256 spondeos stabilis in jura paterna recepit
 257 commodus et patiens, non ut de sede secunda
 258 cederet aut quarta socialiter. Hic et in Acci
 259 nobilibus trimetris adparet rarus et Enni
 260 in scaenam missos cum magno pondere versus
 261 aut operae celeris nimium cura que carentis
 262 aut ignoratae premit artis crimine turpi.
 263 Non quivis videt immodulata poemata iudex
 264 et data Romanis venia est indigna poetis.
 265 Idcircone vager scribamque licenter ? an omnis
 266 visuros peccata putem mea, tutus et intra
 267 spem veniae cautus ? vitavi denique culpam,
 268 non laudem merui. Vos exemplaria Graeca
 269 nocturna versate manu, versate diurna.
 270 At vestri proavi Plautinos et numeros et
 271 laudavere sales, nimium patienter utrumque,
 272 ne dicam stulte, mirati, si modo ego et vos
 273 scimus inurbanum lepido seponere dicto
 274 legitimumque sonum digitis callemus et aure.

275 Ignotum tragicae genus invenisse Camenae
 276 dicitur et plaustris vexisse poemata Thespis
 277 quae canerent agerentque peruncti faecibus ora.
 278 Post hunc personae pallaeque repertor honestae
 279 Aeschylus et modicis instravit pulpita tignis
 280 et docuit magnumque loqui nitique cothurno.
 281 Successit vetus his comoedia, non sine multa
 282 laude ; sed in vitium libertas excidit et vim
 283 dignam lege regi ; lex est accepta chorusque
 284 turpiter obticuit sublato jure nocendi.
 285 Nil intemptatum nostri liquere poetae,
 286 nec minimum meruere decus vestigia Graeca
 287 ausi deserere et celebrare domestica facta
 288 vel qui praetextas vel qui docuere togatas.
 289 Nec virtute foret clarisve potentius armis
 290 quam lingua Latium, si non offenderet unum
 291 quemque poetarum limae labor et mora. Vos, o
 292 Pompilius sanguis, carmen reprehendite quod non
 293 multa dies et multa litura coercuit atque
 294 perfectum decies non castigavit ad unguem.
 295 Ingenium misera quia fortunatius arte
 296 credit et excludit sanos Helicone poetas
 297 Democritus, bona pars non unguis ponere curat,
 298 non barbam, secreta petit loca, balnea vitat ;
 299 nanciscetur enim pretium nomenque poetae,
 300 si tribus Anticyris caput insanabile numquam
 301 tonsori Licino commiserit. O ego laevus,
 302 qui purgor bilem sub verni temporis horam !
 303 Non alius faceret meliora poemata. Verum
 304 nil tanti est. Ergo fungar vice cotis, acutum
 305 reddere quae ferrum valet exsors ipsa secandi ;
 306 munus et officium nil scribens ipse docebo,
 307 unde parentur opes, quid alat formetque poetam,
 308 quid deceat, quid non, quo virtus, quo ferat error.
 309 Scribendi recte sapere est et principium et fons.
 310 Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae
 311 verbaque provisam rem non invita sequentur.
 312 Qui didicit patriae quid debeat et quid amicis,
 313 quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes,
 314 quod sit conscripti, quod iudicis officium, quae
 315 partes in bellum missi ducis, ille profecto
 316 reddere personae scit convenientia cuique.
 317 Respicere exemplar vitae morumque jubebo
 318 doctum imitatore et vivas hinc ducere voces.
 319 Interdum speciosa locis morataque recte
 320 fabula nullius veneris sed pondere inertis
 321 valdius oblectat populum meliusque moratur
 322 quam versus inopes rerum nugaeque canorae.
 323 Grais ingenium, Grais dedit ore rotundo
 324 Musa loqui, praeter laudem nullius avaris ;
 325 Romani pueri longis rationibus assem
 326 discunt in partis centum diducere. "Dicat
 327 filius Albini : si de quincunce remota est
 328 uncia, quid superat ? Poteras dixisse. - Triens. - Eu !
 329 Rem poteris servare tuam. Redit uncia : quid fit ? -
 330 Semis." An, haec animos aerugo et cura peculi
 331 cum semel imbuerit, speramus carmina fingi

332 posse linenda cedro et levi servanda cupresso ?
333 Aut prodesse volunt aut delectare poetae
334 aut simul et jucunda et idonea dicere vitae.
335 Quidquid praecipies, esto brevis, ut cito dicta
336 percipiant animi dociles teneantque fideles.
337 Omne supervacuum pleno de pectore manat.
338 Ficta voluptatis causa sint proxima veris,
339 ne quodcumque velit poscat sibi fabula credi,
340 neu pransae Lamiae vivum puerum extrahat alvo.
341 Centuriae seniorum agitant expertia frugis,
342 celsi praetereunt austera poemata Ramnes.
343 Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci,
344 lectorem delectando pariterque monendo ;
345 hic meret aera liber Sosiis, hic et mare transit
346 et longum noto scriptori prorogat aevum.
347 Sunt delicta tamen quibus ignovisse velimus ;
348 nam neque chorda sonum reddit quem vult manus et mens,
349 poscentique gravem persaepe remittit acutum,
350 nec semper feriet quodcumque minabitur arcus.
351 Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
352 offender maculis, quas aut incuria fudit,
353 aut humana parum cavit natura. Quid ergo est ?
354 Ut scriptor si peccat idem librarius usque,
355 quamvis est monitus, venia caret ; ut citharoedus
356 ridetur, chorda qui semper oberrat eadem,
357 sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille,
358 quem bis terve bonum cum risu miror ; et idem
359 indignor quandoque bonus dormitat Homerus ;
360 verum operi longo fas est obrepere somnum.
361 Ut pictura poesis : erit quae, si propius stes,
362 te capiat magis, et quaedam, si longius abstes ;
363 haec amat obscurum, volet haec sub luce videri,
364 iudicis argutum quae non formidat acumen ;
365 haec placuit semel, haec decies repetita placebit.
366 O major juvenum, quamvis et voce paterna
367 fingeris ad rectum et per te sapis, hoc tibi dictum
368 tolle memor, certis medium et tolerabile rebus
369 recte concedi ; consultus juris et actor
370 causarum mediocris abest virtute disertis
371 Messallae nec scit quantum Cascellius Aulus,
372 sed tamen in pretio est : mediocribus esse poetis
373 non homines, non di, non concessere columnae.
374 Ut gratas inter mensas symphonia discors
375 et crassum unguentum et Sardo cum melle papaver
376 offendunt, poterat duci quia cena sine istis,
377 sic animis natum inventumque poema juvandis,
378 si paulum summo decessit, vergit ad imum.
379 Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
380 indoctusque pilae discive trochive quiescit,
381 ne spissae risum tollant impune coronae ;
382 qui nescit versus tamen audet fingere. Quidni ?
383 Liber et ingenuus, praesertim census equestrem
384 summam nummorum vitioque remotus ab omni.
385 Tu nihil invita dices faciesve Minerva ;
386 id tibi iudicium est, ea mens. Si quid tamen olim
387 scripseris, in Maeci descendat iudicis auris
388 et patris et nostras nonnumquam prematur in annum

389 membranis intus positis. Delere licebit
 390 quod non edideris ; nescit vox missa reverti.
 391 Silvestris homines sacer interpretisque deorum
 392 caedibus et victu foedo deterruit Orpheus,
 393 dictus ob hoc lenire tigris rabidosque leones ;
 394 dictus et Amphion, Thebanae conditor urbis,
 395 saxa movere sono testudinis et prece blanda
 396 ducere quo vellet. Fuit haec sapientia quondam,
 397 publica privatis secernere, sacra profanis,
 398 concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
 399 oppida moliri, leges incidere ligno.
 400 Sic honor et nomen divinis vatibus atque
 401 carminibus venit. Post hos insignis Homerus
 402 Tyrtaeusque mares animos in Martia bella
 403 versibus exacuit ; dictae per carmina sortes
 404 et vitae monstrata via est et gratia regum
 405 Pieriis temptata modis ludusque repertus
 406 et longorum operum finis : ne forte pudori
 407 sit tibi Musa lyrae sollers et cantor Apollo.
 408 Natura fieret laudabile carmen an arte,
 409 quaesitum est ; ego nec studium sine divite vena
 410 nec rude quid prosit video ingenium ; alterius sic
 411 altera poscit opem res et conjurat amice.
 412 Qui studet optatam cursu contingere metam,
 413 multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit,
 414 abstinuit Venere et vino ; qui Pythia certat
 415 tibicen, didicit prius extimuitque magistrum.
 416 An satis est dixisse : " Ego mira poemata pango ;
 417 occupet extremum scabies ; mihi turpe relinqui est
 418 et quod non didici sane nescire fateri ? "
 419 Ut praeco, ad merces turbam qui cogit emendas,
 420 adsentatores jubet ad lucrum ire poeta
 421 dives agris, dives positus in faenore nummis.
 422 Si vero est unctum qui recte ponere possit
 423 et spondere levi pro paupere et eripere artis
 424 litibus implicitum, mirabor si sciet inter
 425 noscere mendacem verumque beatus amicum.
 426 Tu seu donaris seu quid donare voles cui,
 427 nolito ad versus tibi factos ducere plenum
 428 laetitiae ; clamabit enim : "Pulchre, bene, recte",
 429 pallescet super his, etiam stillabit amicis
 430 ex oculis rorem, saliet, tundet pede terram.
 431 Ut qui conducti plorant in funere dicunt
 432 et faciunt prope plura dolentibus ex animo, sic
 433 derisor vero plus laudatore movetur.
 434 Reges dicuntur multis urgere culillis
 435 et torquere mero, quem perspexisse laborent
 436 an sit amicitia dignus ; si carmina condes,
 437 numquam te fallent animi sub vulpe latentes.
 438 Quintilio si quid recitares : "Corrige, sodes,
 439 hoc" aiebat "et hoc" ; melius te posse negares,
 440 bis terque expertum frustra ; delere jubebat
 441 et male tornatos incudi reddere versus.
 442 Si defendere delictum quam vertere mallet,
 443 nullum ultra verbum aut operam insumebat inanem,
 444 quin sine rivali teque et tua solus amares.
 445 Vir bonus et prudens versus reprehendet inertis,

446 culpabit duros, incomptis allinet atrum
447 traverso calamo signum, ambitiosa recidet
448 ornamenta, parum claris lucem dare coget,
449 arguet ambigue dictum, mutanda notabit,
450 fiet Aristarchus, nec dicet : "Cur ego amicum
451 offendam in nugis ? " Hae nugae seria ducent
452 in mala derisum semel exceptumque sinistre.
453 Ut mala quem scabies aut morbus regius urget
454 aut fanaticus error et iracunda Diana,
455 vesanum tetigisse timent fugiuntque poetam
456 qui sapiunt ; agitant pueri incautique sequuntur.
457 Hic, dum sublimis versus ructatur et errat,
458 si veluti merulis intentus decedit auceps
459 in puteum foveamve, licet "succurrite" longum
460 clamet, "io cives", non sit qui tollere curet.
461 Si curet quis opem ferre et demittere funem,
462 "qui scis an prudens huc se projecit atque
463 servari nolit ? " dicam, Siculique poetae
464 narrabo interitum. Deus immortalis haberi
465 dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
466 insiluit. Sit jus liceatque perire poetis ;
467 invitum qui servat, idem facit occidenti.
468 Non semel hoc fecit, nec, si retractus erit, jam
469 fiet homo et ponet famosae mortis amorem.
470 Nec satis apparet cur versus factitet, utrum
471 minxerit in patrios cineres an triste bidental
472 moverit incestus ; certe furit, ac velut ursus,
473 objectos caveae valuit si frangere clathros,
474 indoctum doctumque fugat recitator acerbus ;
475 quem vero arripuit, tenet occiditque legendo,
476 non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.